

rint habere, et, si necessitas urgeat, etiam extra diem Cœnæ Domini.

13. Delegandi simplicibus sacerdotibus potestatem benedicendi paramenta et alia intensilia ad sacrificium missæ necessaria, ubi non intervenit sacra unctio; et reconciliandi ecclesias pollutas aqua ab Episcopo benedicta, et, in casu necessitatis, etiam aqua non benedicta ab episcopo.

14. Largiendi ter in anno indulgentiam plenariam contritis, confessis ac sacra communione refectis.

15. Absolvendi ab hæresi et apostasia a fide et a schismate quoscumque etiam ecclesiasticos tam sæculares quam regulares; non tamen eos qui ex locis fuerint ubi Sanctum Officium exercetur, nisi in locis missionum, in quibus impugne grassantur hæreses, deliquerint, nec illos qui judicialiter abjuraverint, nisi isti nati sint ubi impugne grassantur hæreses, et post judicialem abjuramentum illuc reversi in heresim fuerint relapsi, et hos in foro conscientiæ tantum.

16. Absolvendi ab omnibus censuris in constitutione " Apostolicæ Sedis moderationi ", 12 Oct. 1869 Romano Pontifici, etiam speciali modo reservatis, excepta absolutione complicitis in peccato turpi.

17. Concedendi indulgentiam plenariam primo conversis ab hæresi atque etiam fidelibus quibuscumque in articulo mortis saltem contritis, si confiteri non poterunt.

18. Concedendi indulgentiam plenariam in oratione 40 horarum ter in anno indicenda, diebus episcopo bene visis, contritis et confessis et sacra communione refectis, si tamen ex concursu populi et expositione S^{mi} Sacramenti nulla probabilis suspicio sit sacrilegii ab hæreticis et infidelibus aut offensionis a magistratibus.

19. Lucrandi sibi easdem indulgentias.

20. Singulis feriis secundis non impeditis officio IX lectio-